

tibus, torrentibus omnibusque plurimis intumescit, Aretiaque ad laeuam relicto Florentinum agrum ingreditur, & Florentia ipsam interfecat. Hinc Pisam quoque diuidens, tandem mari illabitur. Anser quoque ex Apennino oritur, & Lucam præterlapsus mari quoque infunditur, hodie Sorichius vocatur. Macra flu. quoque ex Apenninis iugis oritur, ac Thusciam à Liguria separat. Ombro quoque Arbia, Merisa, Fressa, Affenoque associatis iuxta Telamonis portum, in mare euomit. Claua & Palia amnes Tyberi iunguntur. Elsa flu. paululu iupra oppidum collis ad Orientem versus loco, quem Vncos accolæ vocat, ortus paululumque prolapsus, ad primum lapidem Senam excipit exiguum torrentem, post cuius accessum naturæ est talis, vt iniectum lignum saxo cortice obducatur. In Volaterrani quoque agri Vimenti montis radicibus, ex saxo fons prorupit, cuius aqua dierum 5. spacio quicquid immiseris, lapideo cortice tegit. Hinc mille passibus Febianu vicus, vbi fons aqua dulcis potu vbertatè lactis intermissam nutritibus restituit. Plinius scribit in Pharis Clitumnus amnem esse, cuius potu albescat oues. Verum Leander eum in Umbria esse affirmat. Scribit præterea Plin. in Soracte monte, qui D. Syluestri hodie dicitur fontem esse latitudinis 4. pedum, & Sole oriente exundare feruenti similem, auesque quæ gustauerint, iuxta mortuas concidere. Lacus verò permulti sparguntur, quorum singulorum descriptio hic prolixior foret: cuiusmodi sunt Baientinus, Caldanus, Apulis, Perusinus, seu Thrasumenus, Vulsinus, Vadimones, Cyminus, Sabbatinus lacus, & nonnulli alij. Montibus quoque regio hinc inde accumulatur, versus Septentrionem Apennini iuga continuo tractu extenduntur. In Mediterraneis sunt montes Tuniatu glandibus, & cocco quo purpura tingitur feraces & Cymini montes. Nec syluis etiã destituitur regio, oram enim Tyrrheni maris saltus maiori ex parte occupant, cuiusmodi sunt Sylua Vetletta, Murci sylua, Arlena sylua, Mantiana sylua, Mesia sylua, hodie de Bacano Lucus Etruriæ iuxta Tyberim, Baia sylua ad Arnun. Minerarum omnes ferè species habet. Ultra Populoniam millibus pass. 4. cauernæ, puteique multi sunt, vnde elici quondam argentu solebat. Alumen conficitur altero à Vetulia lapide. Hincque tertio ferrifodina sunt apud Lunenses, Lathonia marmoris lucidissimi extat. In Volaterrano quoque agro alabastrita fodina sunt: è quibus nobilia fabricantur opera. Itè aluminis fodina. Trans amnem Cecinnam in Iubiano monte terra nigra foditur, magnaque Chalcitis, vnde futuriu atramentu fit copia. Rursum tertio quartoque à Volaterris lapide riuius est, iuxta que per conualles incedo Porphyretes, Ophite, Achates, Chalcedonos, & id genus pretiosos lapides inuenire est. Foditur & metallum alluminariu iuxta Forum Claudij. Ad amnem Cecinnam puteis in Cretam effossis altitudine tanta quæ ad gypsum penetret, aquas è gypso salissimas orientes plubeis caldarijs paulatim in salem niueum igne coquunt. Thermis quoque beata hæc prouincia. Ceretana balnea saluberrima Strabo ait, & hodie Thermæ Strigianæ & balnea Sebatina dicuntur. Iuxta castrum nouum Volaterranum, quo loco plurima insignia naturæ miracula sunt, quibusdam in locis aqua tanto strepitu, tantaque violentia bullientes, vt altitudine pedu 10. exiliant, nec minori cum sonitu rursum cadat, tantique feruoris, vt iniecta animalis viui ossa extemplo nudata carne sursum emergant. Riuis ex ijs aquis efficitur, in cuius ripis gummi ferreo, sulphureo, atramenti que futuri coloris cernitur. Lapidis qui circa sunt pectoribus maximè expetiti, præter has etiam agro Volaterrano multæ medicatæ sunt aquæ. Sunt & balnea Petrioli in laua Vmbriensis fl. ripa. Itè balnea Philippi, olim Rosellana, & iuxta Viterbum aqua Caiæ. Omnia præterea huius partis miracula enumerare, præsertim aquarum, in immensum opus excreceret. Terminatur autè Thusciam ab Oriente Tyberiamne & Lauo. A Meridie mari Tyrrheno, quod Thuscum vocatur, à Septent. monte Apennino, vbi Vilumbri, & Umbria, Galliaque togata pars, ab Occasu amne Macra cum Liguria. Incipit ab Occidente sub longit. grad 32. minut. 30. vbi Pontremoli, desinitque in Oriente sub longit. grad. 36. minut. 29. vbi ostia Tyberis, à Meridie initiu sumit sub latit. grad. 41. minut. 30. vbi itidem ostia, desinitque in Septent. sub latitud. grad. 43. minut. 28. vbi S. Gaudentij oppidum. Subiacet itaque post initiu 6. climatis, quod est per Hellepontum, vsque ad medium eiusdem per Massiliam, vnde parallelus eius Australis est 3. vbi dies prolixior horarum 15. Boreus est 14. vbi dies prolixior horarum 15. continet autem in longit. ab Occid. in Orientem mill. German. 28. seu Ital. 12. In latitud. ab Austro in Boream German. 47. Itali. oram 188.

FORI IVLII DVCATVS.

Fori Iulij nominis originem diuersè prodiderunt scriptores, quidam à Iulio Cesare putant fluxisse, qui legiones hæc trans Alpes duxerit. Blondus regionem Fori-Iuliesem ab vrbe Foro-Iulio denominatã videtur asserere, quam Concauus Bauarorum rex deleuit. Regionem etiã hanc Aquileiensem à Metropoli Aquileia vocatã, monumeta literarum referunt, ad extremum Patriam diuã constat Venetis. Ad Carnos hi quoque referendi sunt. Primum hic reru portu Fuganei, Veneti, Troiani, Galli, posteaque populus Romanus. Deinceps Longobardi, mox Bauari, Pannonijque, tandem ad Venetos redijt imperiu. Vrbes oppidaque multa habet. In Tilianenti maioris ripa dextra S. Viti oppidum est, supraque in Mediterraneo Cusanum, Zopola Valuasorium, & in montibus Spilbergam, cum natura loci, tum mœnibus, & opere munitissimu oppidu, itemque perlautum, opulentu & frequens. In ora amnis ostio transitu, munitissimum oppidu Tisana. Iuxta stagnu Corciatum Maranum est, frequentia colonorum, diuitijs ac nobilitate præcellens. Secus stagnum ad

amne qui huc defluit Castellu est, in ipsis autè æstuarijs insula gradus, cui quondã urbem eiusdem nominis inædificauerunt. Aquilienses Tilianenti maioris dextra ripam latissimi tangunt campi, in quibus vrbs nobilis, Vtina loci Metropolis, cuius mœnia circuitu habent stadiorum ferè 40. portas 12. duplici fossa. Turrus amnis duo eius latera perstringit. Intus ad collis, cui arx incidet radices, foru est spaciosum, in quo mercatorum certis temporibus nundinarij, conuentus habetur: aliud præterea forum varia cingunt artificu officina, rebus ad vsum mortaliu necessarijs, vrbs affluens, celo temperato, indigenis tum summi ingenij, tum admodu magnificis & nobilibus. Supra Vtinum ad primos colles incedenti hæc occurrunt. Faniana villa alta, Mucum, Mel, Braca, & altius Peusum, Coloretu, Tricesinu, Tarum, Artenia, porroque in montibus Prambergu, Glemonaque. Ad Tilianentum dein est Ostopu, & vterius Vetonis vicus, Venetorum & Ducu Austria, Styria, Carinthiaque terminus. Sed & inter montes pagi, vicique sunt multi. Rursum circa mare fluminu ora Natisonis & Turri, dein Amphora ac Ansa amniu ostia, quibus in Natisonem defluit, supra quos Strafoldu, verum de his Aquileiaque vrbe alibi etiã scripsimus. Ad Natisonem deinde flu. inter motes ciuitas vetus Fori-Iulij sita est, de qua supra mentionem fecimus, ea nunc ciuitas Austria vocatur. Sequuntur in motibus Cucum, prætexta Atini, Cernium & Cuconiũ, & secus Natisonem oppidu euersum est Soffimbergu ad amne Tur, ex motibus Tarentinis Natisoni infra ciuitatem illabentẽ. Situ est regio huiusmodi. Incipit à planitie mari opposita, moxque paulatim crescens, primu in colles, tandem in motes altissimos euehitur, qui propemodu vndique fines adeo claudunt, vt hæc vallata montiu iugis planities tanquam muro theatru videatur, faucibus autè vnus pateat, per quas vti porta Sontij fluminis traiectu ab Taruisio aditur. Ceteros terminos Alpes vbique premunt, ideoque nisi per maritimos portus, aut conualles montiu, seu ipsos vertices accessum præbet. Portus habet in ora quam plurimos nominatim, que Timauus amnis efficit, & Pontanu que motis Falconis fontes, Sdobbiu: omnes ad Sinu Tergestinu, item Lontiu primariu amnis Tilij, Grandensem aurei Canalis, Aquileiensem, Busium, D. Andrea Lugianu, Tilianeti Basilicu, Caprulanu. Sunt in hac nobilissima regione capi lati & irrigui, maximeque fertiles, abundat etiã vitibus generosissimi succi, Pucinum vocant. Gignitur in sinu Adriatici maris, nõ procul à Tiriani fonte, saxeo colle, maritimo afflatu paucas coquere amphoras, nec aliud aptius medicamentis iudicatur, fructus hic omnigeni, pomaque nobilissimi saporis. Sylua tum ligno, materiaque, tum venatu munificæ, prata nitidissima, pascuque gregibus pecudu vtilia. Cœlu temperatu, agri cultis rebus, tam necessitati mortaliu, quam delitijs & voluptati oportunis, per se abundat. Montes qui ad hanc regionem pertinent, omnibus ferè metallorum generibus fecundi sunt, nempe ferro, plumbo, stanno, ære, argento viuo, argento ac auro, marmor etiã habet candidu, nigrũ, variũ, lapillos carneolos, cambuias, & beryllos, itemque crystallu. Flumina quibus regio rigatur, partim ex prædictis discet lector, partim ex charta, partim etiã alibi à nobis tradita sunt: vti etiã Thermarum huius loci Motis Falconis in Carnis mentionem fecimus. Fines regionis sunt ab Ortu Istria, à Septent. motes Iapydi, ab Occasu Alpes Vindelicorum & Noricorum, ab Austro sinus Adriaticus. Incipit ab Occidente sub longit. grad. 35. minut. 15. vbi Linenze flu. ostia, desinit in Oriente sub longit. grad. 36. minut. 44. vbi Tergestum, à Meridie incipit sub latit. grad. 45. minut. 30. vbi prædicti flu. ostia, desinitque in Septent. sub lat. grad. 45. minut. 34. vbi Iuliu Carnicu. Subiacet igitur post initiu 7. clim. per mediũ pontu Euxinu, vsque ad mediũ eiusdem per fontes Istri. Parallelus itaque eius Austrinus est 15. diesque prolixior ibidem horarum 15. Boreus est 16. vbi dies prolixior horarum 15. Continet itaque in longit. mill. German. 6. seu Ital. 64. In latitud. verò tantundem.

CORFU INSVLA.

Corfu olim Corcyra dicta fuit: Homerus eam etiã Feaciam & Scheriam appellare videtur, & Gallimachus Drepanam, alij Efram vocatã asserunt, deinde Corfura, ac tandem Corfu dicta est: eam olim Corinthij habitasse dicuntur. Diuisa est Insula tota in 4. partes, quas Balias nominant. Prima quæ versus Ortum vergit vocatur Leuchinia, altera versus Occasum Laghira, tertia Balia media, & vltima Balia de Loros. Insula formam habet oblongam, vtrinque incuruam in modum Lunæ corniculatæ, quamuis etiã in medio aliquod cornu emineat, cui arx imminet Castellu nouum, infra quã Castellum vetus: sed ad radicem montis est Corfu ciuitas circumdatus ipsum montem cum castris. Hæc est Insula ipsius Metropolis, & Archiepiscopatus. Erat ad dextram huius vrbis ciuitas altera dicta Pagiopoli, loco amœnissimo, vbi fons cui nomen Cordachio lympidissimus ac copiosissimus, vbi Corfenses ciues aquas suas hauriunt, ipsorum enim vrbs fontibus caret. Hic porrò naua quoque sibi de aqua dulci prospiciunt. Habet is locus & alias aquas medicatas Tetradi nominatas, & Salinas diuites, piscinas quoque piscium optimorum. Portum habet Corfu amplissimum: est & præter hunc Casopus portus, & duo alij periculosi, tamen Sidari & Timonis portus Insulae ager optimus, frumentum copiosum producit, fructus quoque & vna nobilia, herbarum medicarum efficacissimas, quæ alibi raræ sunt. Cera mellisque abundantiam habet. Oleum autem laudatissimum gignit. Syluas habet Cedrinas, & malorum Araneorum. fluuios tamen vix habet Insula, quin torrentes potius sunt quam flu. Insula quæ Meridie spectat montosa est, quæ verò Septentrionem plana, nisi quantum mons quem Corfu ciuitas cõplectitur, in mare ibidem excurrit. Habet ab exoritu Insulam de Pasco distantem ab se milliarijs Italicis 12. fertilissimam cum commodissimo portu, ab Occasu Merlere Insulam, & haud fertiles, sed incultas, à Septentrione Epiri partem habet, à Meridie Ionium siue Ausonium mare. Incipit ab Occasu sub longitudine grad. 44. minut. 15. Desinit in Ortu sub longitudine grad. 45. minut. 15. Quæ in Meridie maxime vergit, latitudinẽ habet graduum 38. minut. 18. quæ in Septentrionẽ grad. 38. minu. 58. subiacet itaque post medium quinti climatis, quod est per Smyrnam, ita vt parallelus per eam transiens sit 12. vbi dies prolixior horarum 14. Habet autem in longitudine ab Occasu in Ortum milliaria German. 15. seu Italica 60. In latitudine autem German. 10. seu Italica 40.

PARMAE AC PLASANTIAE DVCATVS.

XVII







Dvcatum hunc enarraturus operæpretium visum est me facturum, si generaliori primū nomine eum quo situs est, tractum proderem vti Lectori statim planum apertumque euaderet, quo loco hic quærendus esset. Longobardiarū itaq; Cispadanā partem ante esse dicimus, nominaque sapius quemadmodū & vniuersa ea regio, mutasse. Hæc enim Italia pars, vti Leander tradit Bianora primū dicta, post Felsina, Doria, Boy, Gallia togata, Gallia Cisapennina, Cispadana, Aurelia, AEmilia, Longobardia, nomenque id tandem in Lombardia mutatum, quod nunc manet. Hæc verò ipsa de qua in præfenti agimus regio, Parmensis Bianora principio dicta, ab Ocno Bianoro Tuscorum nobili Duce, quo transito Apennino agrum hunc cœpit. Bianora verò pars Rauennam vsque, deinde Felsina appellata, Galliarū tandem Aureliarū & AEmiliarū nomina sortita est à Romanis Ducibus. Doria autem nomen accepit, ab eiusdē nominis nobili Tuscorū familia, qui ab Asta Colonia Parmam vsque incoluerūt. Per hanc quoque Prouinciam viam Romani duces muniuere AEmiliam, ab Placentia Ariminum vsque. Vnde Flaminia deinceps vsque Romam percurrerat. Galli autē eiectis Tuscis Cispadanæ & Transpadanæ Galliarū præbuerūt nomina, quæ regiones ambæ postea Longobardiarū & Longobardorum diuturno in ijs imperio, nomen sunt adeptæ. Atque hæc nomina sunt, populiq; quibus olim hæc Italia pars occupata fuit. Nos totum hunc tractum quem hac tabula exhibemus in Parmense ac Placentinum territorium diuidemus, quarū illud inter Lienziam, Baguntium, ac Tarum amnes comprehenditur, & Padū ripa dicitur, olim Bianora, Aureliaque. Hoc enim à Taro, inde ad Tidonem vsque amnem extenditur, olimque Doria & AEmilia dicebatur. Iam locorum particularium declaratio subiungenda, quam à Parma vrbe auspiciari placet. Peruetusta ea ciuitas est in ipsa via AEmilia sita, hanc nonnulli tradunt à Chryso Troiano Pallantis Comite Iudicum Israelis tempore conditam, & ab ipsius auctoris nomine Chrysopolim dictā. i. ciuitatem auream. Porro hac de re aliter sentit Annius Viterbiensis, inquit enim: Parmam existimo conditā à Bianore, sicut & Mantuam, quia vocabulum Hetruscum & Syncopatū est Parma quasi Paraman. Sicut enim Mantuam à nomine matris in Trāspadana regione Metropolitim statuit: ita in Bianora Metropolitim Parmam constituit, diā am à Principatu Coloniarum, &c. Nō desunt qui à forma scuto simili quod Parma vocabatur, præterea qui ab amne intercurrente Parma, denominatam prodiderint. Situ est Parma in AEmilia via plano, quinis ab Apennino pass. mil. suburbij quæ ad Occasum conuersa sunt, ab ipsa ciuitate flumine Parma diuisis, cuius trāsitus ponte Lateritio iungitur. AEdificijs splendida in primis est. Incolæ venusti, nobiles, animosi, ingenioque non solum ad Reipubl. moderationem, sed etiam ad literas & rem militarem aptissimo. Rebus ad vsum mortaliū in primis abundat. Agrum habet optimum, amœnissimumque & fecundum tritici, fabæ, cæterarumque frugum, itemque nobilium fructuum, & vini omnigeni, dulcis, acuti, albi, vermiculi fertilē. Nec caret medicatis aquis, ad multa salubribus. Vndique campi circa longè lateque sternuntur, pascuis latissimis felices, summa oportunitate pecuariæ rei. Vnde in tantum mirabili abundantia, lac, caseo figurando percipitur, vt copia fidem excedat ni videris. Obtinetque summum tota Italia commendationis gradum Caseus Parmensis, cum Placentino ac Laudense. Præterea quoq; greges ouilli amplissimi hic alūtur, nobilitate vellerū in primis laudati. Habet & nonnulla alia municipia oppidaq; Bianora regio: vt pote Cornagium, Brixillum, Montecium, Columnum, item Mantinam, Mirandulamque, quorum hic mentionem fecisse sat est. Doria oppidum est Sorania, lautum, ac Marchionatus titulo nobile, situm infra viam AEmiliam, in planitie, dextra ripa Sestroni amnis, itemque Bruxetum. Firezola, Pto. Fidentia dicta. Et inter Nuræ, Trebiaque fluuenta peruetusta nobilissq; ciuitas Placentia, tamen aliqui à Placentulo Troiano conditam perhibēt, quo tempore gentis Israeliticæ Deborah iudex fuit, alij Peuentium Belonesi Gallorum Ducis, qui primi omnium in Italiam irrupere, equitem Placentiarū authorem tradunt, urbemq; primum ab illo Peuentiā denominatā. Nec desunt qui à Placendo, quod amœnissimo in loco sita est, appellatam Placentiani credunt. Vrbs est hoc tempore admodum magnifica nobilitate ciuium. Iacet periucundo loco iuxta Padum, ab Austro campis amœnissimis cincta, fructiferisque collibus. Agrum habet omnium rerum ad vsum mortalium fertilem, ex campis enim frumenti admirabilis abundantia percipitur, ex collibus generosissimum vinum, fructusque nobiles, & oleum. Plana verò non tam aruis & arationibus, quā pratis & pascuis sunt beata, vicinisque ex fluminibus opere factis riuis passim irrigua, sic vt oportunitatem amplissimæ rei pecuariæ præstent, cuius hic summum studium, vberimos etiā quæstus reddit admirabili abundantia Casei, qui tanta copia, tantæque bonitatis hinc exportatur, vt omnibus Europæ partibus in maxima admiratione ac pretio sit. Ob præcipuam verò lactis affluentiam, quæ à magnitudine passionis huius agri proficiscitur, tam magnis plerunque formis Caseus hic figuratur, vt latitudine duos pedes & semissim, crassitudine tres amplius uncias

contineat, pondoque communia 200. Majoribus tamen formis apud Laudenses sit. Atque eiusmodi ferè est totus Cispadana Longobardiarū ager, quemadmodum de Parmensi Placentinoque iam dictum est. Colles enim habet amœnissimos vite, ficu, olea, cæterisque fructiferis arboribus conuētitos. Vnde vina generosissima, fructusque omnis generis suauissimi leguntur. campos longè lateq; patentes, tritici, hordei, fabæ, zea, ac aliorum frumenti generū abundantia præcipua copiosos. Fluminibus rigatur plurimis, ac follis quoque manufactis, aqua vndique per campos corruantur. Ad Ortum primū Lautia seu Anitia flu. est, limes Pœiorum antiquorum eum sequitur Parma amnis. Ex Apennino supra Beluedenium oriens, inde interrupta via AEmilia, Parmaque vrbe ab suburbij diuisa, in Padum defluit. Deinceps est Baguntius amnis, qui ex Apennina itidem defluens, amnem Parmā adeo persæpe auget, vt plurimum in subiectis campis detrimenti consequatur. His mox etiam Cirus flu. iungitur, deinde Taro flu. Apennino oritur iuxta Zaze ac interuallo pass. mil. quinq; ab vrbe Parma fluens, in Padum se quoque exonerat. Sequuntur deinceps Rouasius, Vrsola, Sestronus, Longina, Gratarola, Larda, Chlauenna, Charta, Reo, Nura flu. & nominatissimus Romana clade amnis Trebia, ac Tidones. Apenninus mons hanc vti, & reliquas Italiae prouincias perstringit. Huius verò Cispadana hæc regio editissima iuga obtinere dicitur, vbi tres montium speculæ, Cusina, Albaniana, & Caballus albus, tantæ celsitudinis sunt, vt maximam Italia partem, cum vtroque mari, infero superoq; sub conspectum dent. Syluas etiam nonnullas habent inter Apennini iuga, nec verò & Placentinus ager saltibus ad venatū aptis caret. Mineralium sale ipso hic nullum frequētius, qui ex terra aliquot hic locis conficitur, coquitur verò & ex aquis apud Salsum oppidum, quo inde nomen obtinuit. Cuiusmodi Placentinus quoque ager habet, vbi & Ferrariæ existunt. Aquas medicatas habet Aquarium oppidum. Est & in Apennino Zibius mons, supra quem ex saxo latex prorumpit, olei cum aqua mixti specie, vulneribus mirifice cōferens. Cispadanæ autem Longobardiarū termini sunt ab Oriente Romanula cum Panario seu Scultenna amne eius limite, à Meridie Apenninus cum Hetruriarū parte, ac item Liguria Transapenninæ, à Septentrione Padus flu. ab Occidente partim Padus, partim Alpes, qui Galliarū vltiorem à citeriore diuidunt, quamuis totum eum tractum hæc quam exhibemus tabula, non continet: tamen quia magna hæc eius pars est, malimus hic fines referre totius regionis, quam partis. Incipit autem ab Occidente sub gradibus longit. 29. minut. 28. vbi Salutium vrbs, excurritque in Orientem ad longitud. graduum 33. vti Mutina vrbs. A Meridie initium sumit sub latitud. graduum 43. vbi Pontremuli, & in Septentrionem extenditur ad latitud. grad. 43. minut. 57. vbi Becfortium. Subiacet itaque à medio 6. climatis, quod est per Hellepontum, vsque sub finem eiusdem, ita vt parallelus per eam transiens, sit 14. diesque proinde prolixior horarum 15½. longa verò est ab Occasū in Ortum milliariibus Germanicis 41½. seu Italicis 167. In latitudine verò habet milliaria Germanica 14½. seu Italicis 57.

MARCHIA ANCONITANA.

Anconitana Marchia, ab Ancona vrbe Metropoli nomen adepta est, de qua postea dicitur. Olim autem hæc regio Picenum vocabatur, à Picenis populis, quos tradit Strabo, è Sabinorum agro profectos, ipsorumque authores, quoniam ductu auspicijsq; picini iter ingressi erant, quam auem Marti sacram crediderunt veteres. Hinc Picenorum nomen deinde natos tradit. Nonnulli id à gentis Duce Pico, Saturni filio, quidam ab vrbe Piceno, quæ olim hoc in agro exstitit, ortum prodidere. Marchiarū verò Anconitanarū nomen à Longobardis ortum, qui post excessum Narsetis, Italia tota occupata Romani imperij funditus extirpandi consilium cœperant, ideoque nouis decretis ac legibus editis, quas Longobardicas appellabant, mores institutaque gentium Italicarum, & ipsam quoque linguam vocabulorumque immutare conati sunt. Et simul etiam Magistratuum veterum formas turbauerunt, suam dominationem in senas diuidentes præfecturas quaternæ Ducatus appellabantur, erantque Beneuentanus, Spoletinus, Forouillensis, & Taurinus, bini Marchionatus, nimirū Anconitanus & Taruninus. Fertur olim hunc tractum Firmianam Marchiam diē am fuisse, ab eiusdem etiam nominis vrbe. Hunc verò locum olim Pelasgi, hinc Piceni, Umbri, Senonesque habitauerunt. Iam loci particulares dicendi. Initio itaque versus Occasum, ad Druenti amnis, qui Agrutū terminat, ostium Portus Asculi est, arcis propugnaculo, ad locum qui circa sunt tutelam, munitus. Amne transito vltius, Arquata nobile oppidum occurrit, itemque Accumulū. Deinceps in ora ad mare, iuxta ostium flu. Latī mortui, obscura quædam vestigia vrbs, nec vt videtur modicæ quam locorum accolæ, Picenum aiunt dictam. Vnde regionis totius nomen quidam arbitratur enatum. Per oram deinceps in agrum Firmianum deuenitur. quorum ciuitas in monte tribus à mari pass. mill. sita, totius olim Piceni caput fuit. Vrbs est omnibus rebus



PARMÆ AC PLAISANTIÆ AMOENISSIMI
DVCA TVS typus elegans et accuratus, nunq̄ ante hac editus.